

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio II. An isti asulteri à Judice Ecclesiastico absoluti subjaceant novæ  
Inquisitioni & Judicaturæ in Foro Civili?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

solum agitur civiliter ad proprium interesse & commodum actoris, ut in hoc casu contigit. Ad 2. licet aliqui DD. extendant crimen collusio- nis etiam ad causas civiles, ita tamen vel intelligi debent non de auctore & reo quibus transfigere, & a lite desistere licet pro libitu, sed de Advocatis & procuratoribus eorum, quibus utique prohibitum colludere cum parte adversa, vel, si loquantur de Auctore & Reo, ab illis recedimus cum omni veneratione, nisi meliori

ratione & meliorum Doctorum au- thoritate. Ad 3. crimen adulterii in dictis LL. solum excipitur, quando super eo agitur criminaliter, etiam ad poenam mortis. Eodem modo intelligenda sunt l. 4. & l. 5. citr. quod nempe transigentes in causa criminali criminaliter intentata, non capitali, habeantur pro infamibus & confessis, non vero transigentes super causa civiliter acta, licet actio sunderetur in criminis & de- licto.

## QUÆSTIO II.

*An isti adulteri à Judice Ecclesiastico absoluti sub- jaceant novæ Inquisitioni & Judicatura in Foro Civili?*

**N**on subiacere decisum videtur in c. 6. de accusat. l. 7. s. 2. l. 11. & 14. ff. eod. ubi habetur, per senten- tiā Judicis absolvitoriam crimen sic tolli, ut de eo quāri non amplius pos- sit. 2. Si subjacerent novæ inquisi- tioni aut accusationi super adulterio absoluti in præsenti casu, tunc ideo, quia sententia est lata per collusionem cum reis habitam ab Auctore Luca. l. 11. C. eod. l. fin. ff. de prevaricatione, sed in hoc casu non intervénit collusio, ut in q. 1. fuit probatum: ergo.

3. Licet non intervenerit collusio, fal- tem intervénit transactio inter Aucto- rem & reos, qui datā & acceptā pe- suniā absolutionem procurarunt ob-

non exhibitas probationes criminis adulterii: sed transactio non mino- rem habet vim & autoritatem, quam sententia valida & res judicata (per quam omnino tollitur crimen) l. non minorem 20. C. de transact. & l. 2. ff. de Jurejur. ergo. 4. Sententia lata in uno foro parit exceptionem rei judi- cate in altero foro. c. fin. de Except. in 6. sed adulteri sunt absolui persen- tentiam in uno foro, nempe Ecclesiastico: ergo habent exceptionem rei judicatae in altero foro, nempe Sæculari, ne super eodem delicto ju- dicari denuo possint, vel inquire in ordine ad poenam.

At his non obstantibus censeo, is  
Secu-

Sæcularis Judicis potestate omnino esse in absolutos ab Ecclesiastico ad vitiosos ulterius inquirere, & si sufficienter ipsi probetur adulterium, illud secundum leges & statuta puniri. Jul. Clarus, qui pro se dicit stare communem DD. & proxim tribunum. Prob. 1. ex c. 5. de pœnis in 6. ubi habetur, quod punitus in foro Ecclesiastico adhuc judicari & puniri possit in foro sæculari; quia pœna spiritualis & medicinalis, quæ ferè in foro Ecclesiastico infligi solet, non tollit pœnam temporalem, nec ista illam: ergo à fortiori, si ne quidem punitus est quispiam, & tamen delicti reus, vel de eo diffamatus, adhuc puniri in foro sæculari potest, & in eum inquiri, ut delicta competenti & condignâ pœnam afficiantur. Prob. 2. ex c. r. 2. & fin. b. t. ubi permittitur Judicii inquisitio. & l. 3. §. 1. ff. de pravar. iterata accusatio reijam per sententiam absoluti. Et quamvis hæc Jura loquuntur de absoluto per collusionem, tamen ratio boni publici, in qua fundantur, etiam militat pro casu, quo propriæ dicta collusio non intervenit, ne scilicet crimina semel audita maneat indiscessa & impunita. Unde probatur 3. bonum publicum exigit, ut delicta reipublicæ periclosa, quale unice est adulterium, non maneat impunita. l. 13. ff. de Off. Praes. l. ita vulneratus. S. quod si quis. ff. ad L. Aquil. c. 35. §. 1. de sent. Excom. Barbosa axiom. 68. n. 1. Sed delictum adulterii, si probetur esse commis-

sum, in foro Ecclesiastico non est punitum, nec vi actionis puniri poterat, cum actum fuerit Civiliter: ergo exigit & debet adhuc puniri condigne instituta inquisitione. Prob. 4. actio civilis non præjudicat criminali. l. un. C. quand. Civil. att. ita ut utraque in eodem etiam Judicio saltem successivè proponi possit gl. in l. un. cit. v. utraque; ergo à fortiori in alio Judicio locum habet actio, consequenter & Inquisitio criminalis, postquam priùs alibi instituta est actio Civilis; cum actio criminalis & civilis tendant ad fines diversos.

Objecta nullum faciunt negotium. Ad 1. ajo, in illis Juribus sermonem esse de criminaliter accusato; & legitime per sententiam validam absolutio, pro quo causa multi quidem tenent, eum non amplius accusari, aut inquiri super eodem criminis posse, quod tamen ipsum alii plures affirman, allegantes pro se quoque proxim. Non tamen facile ullus negabit, reum actione civili pulsatum posse criminaliter adhuc accusari & inquiri, cum Leges satis clare oppositum statuant, & ratio evincat contrarium, præsertim si in Civili Judicio intervenerit clandestina transactio inter Actorem & Reum, quæ simulacrum est collusio, licet non sit vera collusio. Ad 2. N. Ma. Ratio negandi patet ex nostræ sententia fundamentis. Ad 3. dist. Min. transactio non habet minorem auctoritatem, quam sententia & res judicata, in causis mere civilibus. C. Min. in crimi-

S 2

crimi-

criminalibus. *N. Min.* transactio inita super causa civiliter acta non se extendit ad causam criminaliter tractandam, uti patet ex nostris probationibus. Imò in causis criminalibus, ubi non agitur de vita & sanguine, de Jure ne quidem licitum est transfigere: & transfigens habetur pro confessu. *l. 4. §. ff. de his, qui not. infam.* In causa autem criminali capitali (excepto adulterio) prohibitum quidem non est transfigere cum accusatore. *l. 18. § ibi gl. C. de transfig. cùm ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. l. 1. ff. de bon. eor. qui ant. sent.* hæc tamen transactio, licet impedit novam accusationem, tertium tamen non ligat, & sic Judicem non impedit vel arcit ab Inquisitione insituenda. *Jul. Clar. §. fin. q. 58. n. 4.* Ad 4. dist. *Ma.*

sententia lata in uno foro parit exceptionem rei judicatae in altero foro, si ad utrumque forum causa defertur criminaliter, vel ad utrumque civiliter, & simul in primo foro sententia fuit legitimè ac validè lata, atque si criminaliter acta sit causa, & in primo foro condigna & ordinaria poena delictum punitur. *C. Ma.* si in uno foro causa fuit tractata civiliter, & in altero tractatur criminaliter, vel si in primo etiam foro fuit quidem tractata criminaliter, non tamen condigna poena fuit affectum delictum. *N. Ma.* In praesenti casu prius fuit actum solum civiliter, & delictum nullâ prorsus poena affectum; quod tamen secundum Jura non debet relinquiri impunitum, si de eo constare possit.

## TITULUS XXIII.

### De Delictis Puerorum.

#### DECISIO CLXVII.

##### De Minorenibus, Magiae criminis infecti, poena.

###### SPECIES FACTI.

**C**Asparellus puer adhuc novennis fatebatur sociis se artem callere indurandi corpus, producendi mures, glires &c. imò jactabatse, quod ad